



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 94. Quid possit circa præsentationem, institutionem, confirmationem, postulationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

iciendo beneficium liberum servituti, concedere possit jus patronatus. Lotter. l. 2. *quest.* 2. n. 18. Corrad. *de benef.* l. 4. c. 5. n. 8. Castrop. Barbof. Garc. juxta Trident. *Sess.* 25. c. 9. *junctâ declar. S. Cong. ibid.* vide me *in foro benef.* p. 2. qu. 46.

Quest. 94. Quid possit Capitulum Sede vacante circa præsentationem, institutionem, confirmationem, postulationem?

1. Resp. ad primum: Ubi jus patronatus spectat ad Episcopum, præsentare nequit Capitulum Sede vacante. Castrop. *loc. cit.* p. 29. num. 8. Fermosin. *de capit. sed. vac. quest.* 24. n. 9. Pavin. *tr. cod. qu. 5. p. 2. num. 3. & 5.* Lambert. & plures alii, quos citavi in *Vicar. Episc. quest.* 520. Idem est de electione contra Lotter. *loc. cit.* n. 14. & 15. de utroque sententiam contrariam estque ratio, quòd præsentare & eligere, non tam jure communi, quàm speciali & per accidens competant Episcopo quàm tali, & non spectent ad jurisdictionalia, ut vult Lotter.

2. Resp. ad secundum: Potest Capitulum Sede vacante instituere præsentatos, nisi fortè id hic & nunc jure quodam speciali spectet ad alium quàm Episcopum. Barbof. *loc. cit.* num. 63. Lotter. *loc. cit.* num. 21. Fagn. *in c. his qua. de major. & obed. num. 57.* Pirh. *ibid.* n. 44. & 53. Azor. Garc. &c. apud me, *quest.* 521. Spectant enim hæc ad jurisdictionem ordinariam & maximè necessariam Episcopi adeoque non continentia in se rationem donationis aut gratiæ; perque ea nulla fit alienatio, aut præjudicium Episcopo. Quòd si tamen essent plures præsentati, ita ut locus esset gratificationi, non posse Capitulum ejusve Vicarium uni præ altero gratificari; quia hæc gratificatio reservatur Episcopi judicio, & est actus voluntarius, censet Lotter. *loc. cit.* n. 34. contrarium sentiente Dian. p. 8. tr. 4. *resol.* 26. cum Meroll. eò quòd hoc exercitium libertatis proveniat per accidens ex tacita concessione & permissione ipsius patroni, qui, cum potuisset præsentare unum, præsentavit plures, dando Capitulo potestatem eligendi & instituendi, quem maluerit ex præsentatis.

3. Resp. ad tertium: Pari modo ob eandem rationem, & juxta eosdem AA. confirmare potest electos seu electionem, & eandem infirmare. Non tamen electo administrationem committere tantisper, donec is à superiore confirmetur. Unde etiam œconomus ad libitum alterius, etiam ab Episcopo, constitutus respectu ecclesiæ vacantis inferioris, (secus est, si de consuetudine aut jure speciali debebat deputari œconomus,) si eligeretur in Prælatum, mox cessare deberet ab administratione, ut Passerin. *de elect.* c. 33. num. 4. uti & ipse Vicarius capitularis, si eligeretur. Ego *for. benef.* p. 2. *quest.* 427. num. 3. *juncto num. 5.*

4. Resp. ad quartum: Et si affirmet Azor. p. 2. l. 2. c. 38. *quest.* 5. & alii apud Garc. p. 5. c. 7. num. 57. posse Capitulum Sede vacante admittere postulationes, modò nihil objici possit postulato, in quo is egeat indulgentia Papæ, probabilis tamen id ipsum negant alii, (utpote ante quam postulatio jus nullum tribuit postulato ad Prælaturam, uti facit electio, sed summo jure rejici possit,) habeat rationem collationis & provisionis omnino liberæ & gratiosæ; adeoque his non obstante, quòd aliàs illius sit postulationem admittere, au-

jus est confirmare, modò is dispensare possit in inhabilitate, ob quam postulatus erat ineligibleis. Vide me *quest.* 524.

Quest. 95. Quid possit Capitulum Sede vacante circa collationem beneficiorum?

1. Resp. primò: Potestas conferendi beneficia, quæ ad liberam solius Episcopi quàm talis, seu quàm Ordinarii collationem spectat, non transit ad Capitulum Sede vacante. Fagn. *in c. cum olim. de major. & obed. num. 34.* Laym. *ibid.* n. 2. Barbof. *de jur. eccles.* l. 1. c. 32. num. 109. Lotter. l. 2. *quest.* 2. num. 26. Fermos. *loc. cit. quest.* 23. à n. 2. Castrop. *tr.* 13. d. 2. p. 29. num. 8. Azor. p. 2. l. 3. c. 38. *quest.* 1. & plures alii citati à me, qu. 525. et si enim Capitulum Sede vacante succedat in iis, quæ Episcopo competunt jure ordinario, collatio tamen beneficiorum est unus casus, isque præcipuus ab ista regula positiva exceptus per c. 2. h. t. & c. unic. *cod. in 6.* Cujus exceptionis ratio est, quòd collatio hæc non sit fructus jurisdictionis, pro ut est institutio & confirmatio, adeoque et si potestas conferendi obveniat Episcopo eodem tempore, quo cætera jurisdictionalia, non tamen competat ei jure Magistratus. Lotter. *loc. cit.* num. 13. & 17. sed est fructus dignitatis Episcopalis. Castrop. Barbof. *LL. cit.* Lotter. *loc. cit.* n. 16. quin &, ut idem Fermosin. *loc. cit.* num. 4. est fructus cum honorificentiâ, à persona non avellibilis; fructus autem reserventur successori. Ad hæc contineat liberam donationem & meram gratiam. Et hæc; etiam si beneficium vivente Episcopo vacarit in ejus mensè, & non fuit ab eo provisum Castrop. *loc. cit.* Fermos. *num.* 18. Item, etiam si collatio spectaret ad Episcopum, non faciendâ tamen ab eo sine consensu & consilio Capituli; cum hic consensus non faciat, ut collatio sit communis Capitulo & Episcopo. Barbof. *loc. cit.* num. 10. Molin. *de just. tr.* 5. §. 11. num. 9. & 13. ratione cujus communionis potestas conferendi tota transit ad Capitulum Sede vacante. Molin. *cit.* n. 13. Fermosin. *loc. cit. quest.* 24. num. 5. Castrop. Barbof. *LL. cit.* & alii, apud me, *quest.* 525. num. 4.

2. Resp. secundò: Sed neque Capitulum Sede vacante conferre potest beneficia debita conferri certi generis personis, puta graduatis, consanguineis fundatoris &c. Coral. *de benef.* p. 1. c. 7. n. 5. Dian. &c. loquentes in genere. Castrop. *loc. cit.* num. 13. Gonz. *ad reg.* 8. *Gl.* 45. n. 19. loquentes in specie de beneficiis patrimonialibus, seu debitis conferri oriundis ex certo loco Lotter. l. c. n. 30. de graduatis Fermos. *loc. cit. quest.* 23. num. 14. de debitis conferri consanguineis fundatoris. Ratio est, quòd et si potestas ordinaria collatorum restricta sit ad certum genus personarum; non tamen exinde dici possit necessaria, ut aliquoties resolvit Rota apud Gonz. *loc. cit.* *Gl.* 9. §. 1. n. 75. non tantum, quia adhuc inter plures personas est electio, (ad quam faciendam à lege electa est industria personæ Episcopi, ut Lotter. *loc. cit.* n. 30.) adeoque & locus gratificationi; sed etiam, quia, ut Castrop. Episcopus posset tale beneficium debitum conferri certo generi, quin imò certæ in specie personæ, puta, propinquiori fundatoris non conferre, permittendò elabi concessum sibi semestre & sic collationem devolvit ad alium; cum compelli nequeat ad conferendum, sicut per electores & patronos compelli potest Ordinarius, ut electum confirmet, præsentatum instituat. Item, quia, ut Lotter. *loc. cit.* ex illa necessitate confer-

rendi